

OFFICIA PROPRIA  
ARCHIDIŒCESIS  
**MONACENSIS ET FRISINGENSIS**

**PARS HIEMALIS**

Die 27 Novembris

**Pro Commemoratione  
diei Octavæ**

**Translat. S. Corbiniani  
Episcopi et Confessoris  
quando occurrit Dominica I  
Adventus**

**In I Vesp. Ant.** Sacér-  
dos et Póntifex, et virtú-  
tum ópifex, pastor bone in  
pópulo, ora pro nobis Dó-  
minum.

**V.** Amávit eum Dómi-  
nus, et ornávit eum. **R.**  
Stolam glóriæ índuit eum.

**Oratio**

**D**eus, qui nos beáti  
Corbiniáni Con-  
fessóris tui atque  
Pontíficis prædicatióne et  
miráculis ad agnitióne  
tui nóminis vocáre digná-  
tus es: concéde propítius;  
ut, cujus translatiόnem có-  
limus, étiam patrocínia  
sentiámus. Per Dóminum.

**In Laudibus Ant.** Euge,  
serve bone et fidélis, quia

in pauca fuísti fidélis, su-  
pra multa te constítuam,  
dicit Dóminus.

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

**In II Vesp. Ant.** Amá-  
vit eum Dóminus, et orná-  
vit eum: stolam glóriæ ín-  
duit eum, et ad portas pa-  
radísi coronávit eum.

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

Die 4 Decembris

**S. Barbaræ**

**Virginis et Martyris**

**Duplex**

**Ant.** Veni, Sponsa Chri-  
sti, áccipe corónam, quam  
tibi Dóminus præparávit  
in ætérmum.

**V.** Spécie tua et pulchri-  
túdine tua. **R.** Inténde,  
próspere procéde, et reg-  
na.

## Oratio

**D**eus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulisti: concéde propítius; ut, qui beátæ Bárbaræ Virgínis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. (Per Dómínum nostrum.)

Deinde Commemoratio S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Ecclesiæ Doctoris:

**A**nt. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Petre Chrysóloge, divinæ legis amátor, de-precáre pro nobis Filium Dei.

**V.** Amávit eum Dómí-nus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

## Oratio

**D**eus, qui beátum Petrum Chrysólogum Doctórem egrégium, divinitus præmonstrátum, ad régéndam et instruéndam Ecclésiam tuam éligi voluisti: præsta, quássumus; ut, quem Doctórem vitæ habuimus in terris, intercessórem habére mereá-mur in cælis. (Per Dómínum nostrum.)

Postea Commemoratio Fe-riæ.

## In II Nocturno

## Lectio iv

Ex Petro Galesino protonot. Apostol. apud Surium, tom. 6

**B**árbara virgo Diósco-ro patre, ímpio homíne, nata, ejus plane dissímilis, ab ineúnte ætate salútis áppetens in divinárum rerum contemplatióne assídue versabáatur: cum autem aliquando de fide sermoné diútius hábito patrem ad illam cohortaré-tur, filiæ oratióne ille com-mótus in eam stricto glá-dio ímpetum fecit, e quo pericúlo virgo mirabiliter liberáta, in cárcerem post inclusa, nec blanditiis nec minis patris ac júdicis a fidei propósito deterré-tur.

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justi-tiam: \* Et dedúcet te mi-rabiliter déxtera tua. **V.** Spécie tua et pulchritúdi-ne tua inténde, próspera procéde, et regna. **Et.**

## Lectio v

**Q**ua vírginis constántia exulcerátus judex il-lam gravíssime cædi ju-bet; sed plagis illis noctu-ope divina sanatís, póstero die prima luce ad júdi-cem dúcitur, in cuius cór-pore nullum appáret vér-

berum signum. Eam vero curatióne cum judex im-púris idólis adscríberet, tum illa non a falsis diis, sed a Christo præstári posse osténdit.

**R.** Dilexísti justítiā, et odísti iniquitátem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiae. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justi-tiam. Propterea.

## Lectio vi

**Q**uam ob rem irátor ju-dex factus férreis ún-guibus illam dilaniári, ac-cénsis fácibus adúri atque áliis gravíssimis cruciati-bus torquéri ímperat. Qui-bus torméntis affécta vir-go, demum ab ímpio pa-tre secúri percússa, multis virtútibus et miraculó-rum glória illústris ad duplícátum virginítatiis et martýrii prémium migrávit in cælum pídie Nonas Decémbriis.

**R.** Afferéntur Regi vírgines post eam, proximæ ejus \* Afferéntur tibi in lætitia et exsultatióne. **V.** Spécie tua et pulchritúdi-ne tua inténde, próspera procéde, et regna. **Affe-réntur tibi. Glória Patri.** Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórū decem virgínibus, de Communi Virginum 1 loco.

Pro S. Petro Chrysologo: Lectio ix

**P**etrus, qui ob áuream ejus eloquéntiam Chrysólogi cognómen adéptus est, Foro Cornélíi in Æmilia honéstis paréntibus natus, a prima ætate ánimum ad religiónem adjiciens, Cornélio Románo, tunc ejusdem urbis Corneliensis epíscopo, óperam dedit; a quo diáconus mérito creá tus est. A sancto Xysto Papa térito archiepíscopus Ravennæ, licet invitus, renuntiá tus, a Ravennáibus máxima cum reveréntia suscéptus est. In pastoráli múnere exímius, ludos ab homínibus personátis fieri sóli-tos ut cohibéret conti-ónē, illud præcláre dixit: Qui jocári voluerit cum diá-bolo, non pótterit gaudére cum Christo. Vitæ suæ finem divinitus prænoscens, in pátriam se cóntulit; et sancti Cassiáni templum ingréssus, pretiósā dona cum obtulíset, Deum eundemque patrónum humí-liter rogávit, ut benígne

ánimam ejus excíperent. Migrávit ex hac vita quarto Nonas Decémbbris, dēcimo octávo episcopátus anno. Ejus sacram corpus prope corpus sancti Cassiáni honorifice cónditum est.

**Te Deum laudámus.**

### Ad Laudes

**V.** Diffusa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened.** **Ant.** Símile est regnum cælórum \* hómini negotiatóri quærénti bonas margaritas: invénta una pretiósaa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

### Oratio

**D**eus, qui inter cétera poténtiæ tue mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ natalitía cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Petri Chrysologi:**

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in paucis fuisti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

### Oratio

**D**eus, qui beatum Petrum Chrysólogum Doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum, ad regéndam et instruéndam Ecclesiás tuam éligi voluísti: præsta, quássumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio Feriæ.**

### In II Vesperis

**V.** Diffusa, ut supra.

**Ad Magnif.** **Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**Et fit Commemoratio S. Petri Chrysologi:**

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclésiae sanctæ lumen, beáte Petre Chrysóloge, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

**V.** Justum et Oratio Deus, qui beatum, ut supra.

**Deinde Commemoratio Feriæ.**

**Postea S. Sabbæ Abbatis:**

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam gloriæ índuit eum.

### Oratio

**I**ntercéssio nos, quássumus, Dómine, beáti Sabbæ Abbatis commén- det: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

### Die 8 Decembris

**In Conceptione**  
**immaculata B. M. V.**  
**Titul. Ecclesiæ Metropol.**

Duplex I classis  
cum Octaya communi

Omnia ut in Breviario hac die.

### Die 19 Decembris

**S. Adelaidis**  
**Imperatricis, Vidiæ**  
**Semiduplex**

**V.** Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Inténde, pròspere procéde, et regna.

**Ad Magnif.** **Ant.** Símile est regnum cælórum \* hómini negotiatóri quærénti

bonas margarítas: invénta una pretiósaa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

### Oratio

**E**xaudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Adeláidis festivitaté gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Feriæ.**

**In I Nocturno,** si dicendæ non sint de Scriptura occurrenti, Lectiones Mulierem fortem, de Communi non Virgini.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

**A**deláis, filia Rudólphi secundi Burgúndiæ Regis, nupsit Lothário Regi Italiæ. Mórtuo Lothário, ipsa annum décimum nonum agénte, occupávit regnum Italiæ Berengárius, Lothárii competitor, et Adeláidem conjécit in terrum cárcerem, ubi dire admodum vexavérunt eam viri immíties, comam ipsi evelléntes et corpus ejus pugnis et cálcibus inhunáne contundéntes. Vir quidam misericórdia mortus super eam et indignabundus, quod tam male tractarétur, auctor illi fuit, ut per noctem eváderet.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dexteram tua. **V.** Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. **Et.**

**Lectio v**

**V**erum tam obscura erat nocte, ut Adelais fugiens cum pedisequa et nesciens, quo iret, inciderit in stagnum, in quo tota nocte et tota die mansit, nullo per id temporis spatium sumpto cibo, a Deo solo, quem invocabat, sperans auxilium. Pene confectam e stagno piscator eduxit. Imploraverat opem Ottonis primi, Germânia Regis, qui postea fuit Imperator. In Italiam cum numeroso exercitu advenit Otto et Berengarium sine labore debellavit; deinde Adelaidem uxorem duxit.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

**V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Propterea.**

**Lectio vi**

**H**æc inter delicias saeculi, quibus in aula affluebat, vitam nihilomi-

nus duxit semper austaram et omni virtute, praesertim misericordia in pauperes, conspicuum. In diversis orbis partibus plura Canonicorum, Monachorum et Monialium coenobia exstruxit, dotavit ac Ecclesiam denique Cathedram Augustanam restauravit. Multa et dura passa est a ministris Ottonis tertii, sui nepotis, qui, cum eam a se amandatam revocasset, commisit ipsi regendum imperium. At illa injuriarum immemor, non malum, immo bonum pro malo reddidit et injurias beneficiis compensavit. Vita laudabili functa obiit annum agens sexagesimum nonum. Scripsit vitam ejus sanctus Odilo, Abbas Cluniacensis, et testatur, ad ejus tumulum caecos illuminatos, paralyticos aliquosque variis morbis laborantes, ejus ope implorata, sanatos.

**R.** Fallax gratia, et vana est pulchritudo: \* Muler timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. **Muler.** Gloria Patri. **Muler.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sime est regnum celorum thesouro, de Communi non Virginum.

**Ad Laudes**

**V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in aeternum.

**Ad Bened. Ant.** Date ei \* de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

**Oratio**

**E**xaudi nos, Deus, salutarius noster: ut, sicut de beatae Adelaidis festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamus affectu. Per Dominum.

**Et fit Commemoratio Feriæ.**

**In II Vesperis**

**V.** Diffusa, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Manum suam \* apéruit inopis, et palmas suas exténdit ad pauperem, et panem otiosam non comedit.

**Et fit Commemoratio Feriæ.**

**Die 8 Januarii****Pro Commemoratione**

**S. Erhardi Ep. et Conf.**

**In Vesperis Ant.** Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

**Oratio**

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Erhardi Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotio nem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

**Ad Laudes Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constitua, dicit Dominus.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Die 19 Januarii**

**S. Severini Abbatis**

(d. a. ex 8° hujus)

**Duplex** (m. t. v.)

**Ant.** Similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.

**V.** Amavit, ut supra.

**Oratio**

**D**eus, qui in sanctis habitas et pia corda non deseris: libera nos per intercessionem beati Severini a terrénis desideriis et cupiditatē carnali; ut tibi soli Domino liberis méntibus serviámus. (Per Dñm.)

**Deinde Commemoratio Ss.  
Marii et Soc. Mm.:**

**Ant.** Istórum est enim regnum cælórum, qui contémperunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sanguine Agni.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

### Oratio

**E**xáudi, Dómine, pôpulum tuum cum Sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: ut et temporális vitâ nos tríbuas pace gaudére; et æternæ reperíre subsídium. (Per Dóminum nostrum.)

**Postea S. Canuti Regis,  
Mart.:**

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honore coronásti eum, Dómine. **R.** Et constitústi eum super ópera mánuum tuárum.

### Oratio

**D**eus, qui ad illustrándam Ecclesiás tuam beatum Canútum regem martyrii palma et glorió-

sis miráculis decoráre dignátus es: concéde propitiis; ut, sicut ipse Dominicæ passiónis imitátor fuit, ita nos, per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempitérana perveníre mereámur. Per eúndem Dóminum.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

**S**everinus defúncto Attila ex Oriéntis pártibus véniens, in Nóríci Rípensis et Pannóniæ confínnio monásticæ vitæ institútum sanctissime colúit. Cujus apud Deum mérita et oratiónum vis cum signis admirándis claréscent, multa eum óppida et civitátes afflictis rebus ad se súpplices invitárunt confisæ, ut re probátum est, ejus patrocínio ab inféstis hóstium incursiónibus et cládibus se tutas fore. Sensit ejus quoque opem tam in famis quam hóstium perículo Fabiána, nunc Viénna, Austræ cívitas, ubi erécto extra mu-ros monastério frequens fuit. Nec præter álios ejus beneficiórum Bátavi (nunc Passaviénses) expértes fuére, apud quos fixa ad Bóitrum trans Cenam cel-

la cum paucis mónachis aliquámdiu commorátus est. Multa Deo revelánte occulta cognovit, multa prophético spíritu futúra prædixit, ac impendéntia mala oratióibus, jejuniis, aliisque pœnitentia et pietatis opéribus avértere, exémplo et verbis dócuit; multis déniue ad illum confugiéntibus ægritudinum étiam desperatárum sanitátem a Deo impetravit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívít eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum:  
\* Et dedit illi claritatēm æternam. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

#### Lectio v

**Q**uanto magis autem Severinum divinæ gratiæ munus magnárum virtútum prodigiis illustrábat, tanto magis profundissimæ humilitatis stúdio indígnum se et peccatórem clamans aliórum pro se preces cum lácrimis expetebat. Corpus plúrimis inédiis súbjugans numquam nisi certa festivitáte, ante solis occásu cibo refécit,

in Quadragésima per hebdomadam una refectione conténtus. Nullis étiam intensa hieme calceaméntis nec álio strato quam cilicio supra paviméntum utebatur, hábitu, quem gestabat, numquam depósito. Noctis psalmódia cum fratribus celebráta réliquum tempus oratióibus assiduis et rerum divinárum contemplatióni dedit. Cui ut defixius incúmberet, hóminum freqüéntiam sæpe fúgiens remóta loca pétivit; unde tamen divinitus, ad aliórum utilitatem, quorum mira caritáte flagrábant, evocabátur. At ut oblátum episcopi munus suscíperet, nullis précibus addúcui pótuit.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stola glória induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

#### Lectio vi

**D**éniue óbitus sui diem longe ante præsciens, cum tríduo láteris dolore laboráasset, nocte convocáti ad osculum fratribus, eosdem ad humilitatis, puritatis omnisque sanctitá-

tis stúdium adhortátur. Sacraménto demum Communiónis accépto, crucis signo exténta manu se múnens Psalmum: Laudáte Dóminum in Sanctis ejus, ipso præcínente, cárneré jubet ac sub último versículo: Omnis spíritus laudet Dóminum, sexto Idus Januárii spíritum Deo réddidit. Sexénio post ejus óbitum Románis, juxta Severíni vaticínium in Itáliam migrántibus, ossa ejúsdem Sancti, ut vivens monuerat, secum asportáti effóssso sepúlcro, quod admirábilem odoris suavitátem exhalábat, corpus plane íntegrum invéniunt. Quod vehículo, cujus solus contáctus morbos sanabat, in Itáliam delátum et in castélo Luculláno perhonorífice cónditum Deus miraculórum glória honorávit.

**R.** Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:  
\* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est, qui contémptis vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco.

Pro Ss. Mario et Sociis Mm.:

### Lectio ix

Márius Persa, nóbili loco natus, cum Martha cónjuge pari nobilitáte, et duóbus filiis Audíface et Abachum, Romam venit Cláudio imperatóre, ut Mártirum sepúlcra veneraréatur. Ibi Christiános in víncula conjéctos fovébant, et ópera ac facultáibus suis sustentábant, et Sanctórum corpora sepiellébant. Quam ob rem comprehénsi omnes, cum nec impiórum minis nec terróre commoveréntur, ut diis sacrificárent; primum fústibus debilitati, deinde fúnibus attrácti, tum ad mótiis candéntibus láminis combústi, et úngulis férreis excárnificáti sunt. Postremo præcísis mánibus et ad collum alligátis, duci per médiam urbem, via Cornélia ad tértium décimum ab Urbe milliárum, in eum locum, qui Nympha dicebátur, necántur: ac primum Martha, quæ virum ac filios ad supplicia pro Jesu Christi fide constanter perforénda, vehe-

ménter fúerat cohortáta; mox céteris in eádem arenária cervíces abscindúntr, eorúmque córpora conjiciúntur in ignem. Quæ semiústa, Felicitas matróna Romána nóbilis, colligénda et in suo prædio sepeliénda curávit.

Te Deum laudámus.

### Ad Laudes

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened.** **Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, infra in gáudium Dómini tui.

### Oratio

Déus, qui in sanctis hámbitas et pia corda non déseris: líbera nos per intercessionem beáti Severíni a terrénis desidériis et cupiditatē carnáli; ut tibi soli Dómino líberis méntibus serviámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Ss. Marii et Soc. Mm.:

**Ant.** Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolite timére: multis paséribus melióres estis vos.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubílibus suis.

### Oratio

**E**xáudi, Dómine, populum tuum cum Sanctórum tuorum patrocínio supplicántem: ut et temporális vitæ nos tribuas pace gaudére; et aeternæ reperiére subsídium. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde S. Canuti Regis, Mart.:**

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custódit eam.

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicábitur.

### Oratio

**D**eus, qui ad illustrándam Ecclésiam tuam beatum Canútum regem martyrii palma et gloriósis miráculis decorare digná-  
tus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Dominicæ passiónis imitátor fuit, ita nos, per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempiterna pervenire mereámur. Per eúndem Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti Festo Ss. Fabiani Pa-  
pæ et Sebastiani Martyrum

cum Commemoratione præcedentis:

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphantis, divítias cælo condidit ore, manu.

**V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

### Oratio

Deus, qui in sanctis hábitas et pia corda non déseris: libera nos per intercessiónem beáti Severíni a terrénis desidériis et cupiditatibus carnali; ut tibi soli Dómino liberis méntibus serviámus. Per Dóminum nostrum.

Die 3 Februari

S. Valentini

Episcopi et Confessoris

(d. a. ex 7 Januarii)

Semiduplex (m. t. v.)

**Ant.** Sacérdos et Póntífex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

### Oratio

Propitiáre, quásumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Valentíni

Confessóris tui atque Pontificis mérita gloriósa: ut, ejus pia intercessióne, ab ómnibus protegámur ad vérasis. Per Dóminum.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

Valentínus vitæ sanctitatem insignis, ad Océanum Germánicum natus, ad Bátava óppidum, nunc Passávium nuncupátum, eídem genti a vero Dei cultu aliénae verbum vitæ prædicatúrus venit. Verum contra pagános atque Ariános ibi grassántes nihil proficiens Romam pétit, ut ad prædicándi munus apostólica interveníret auctóritas. Inde revérsus et jussu Summi Pontificis pium opus aggréssus áimas, quarum salútem mire sitiébat, assídua verbi divíni prædicatióne Christo lucrari diu multúmque, sed prorsus incássum conátnus est. Unde dénuo Roman rédiit álli pópulo meliores faciénti fructus salutiferum verbi divíni semen spargéndi facultátem impletárus.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Ni-

hil proficiet inimícus in eo, et filius iniquitatis non nobébit ei. **Manus.**

#### Lectio v

Valentínus autem a Pontifice in episcopum creátus, ac, ut apóstoli exemplo adhuc ibidem sua prædicatióne opportúne, importúne instáret, Batávium remíssus est, licéntia ei data post irrítos tandem labóres ad álias gentes commigrándi. Igítur sanctus episcopus múnieri suo ardentissime insistens, cujus fervórem improbi pagáni ferre non pótérant, accédente Arianórum perfidia, urbe pulsus fuit, moxque Rhætiam et finitimas Alpes prædicándo péragrans ubique ingéntem animárum fructum reportávit atque innúmeros Christi fidélés Ecclésiæ péperit. Tandem quo secúrius et secrétius Deo adhæreret, constrúcto sibi prope castrum Majénsē in Tiroli parvo oratório, vitam solitáriam élégit, ubi étiam divinis contemplatióibus totus immersus, post exáustos innúmeros pro Christi nómine labóres, sumpto própriis mánibus Domínico corpore,

mortis suæ præscíus ániam suam sanctissime exspirávit, ante et post mortem miráculis clarus.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi élécum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

#### Lectio vi

Corpus hujus sancti præsulis in eódem, quod sibi aedificáverat, oratório humátm a fidélibus magna semper in veneratióne hábitum fuit, præcipue tamen a sancto Corbiniáno colí cœpit. Hic namque tanta devotióne erga sanctum Valentínus afficiebatur, ut Roma redux et ad castéllum Majas subsistere jussus non tantum ecclésiam sancti Valentíni in ampliorem formam redáctam in ejus et sancti Zenónis honórem consecráverit (prout étiam cathédrálem Frisingensem et plures álias in horum sacerdórum honórem eréxit), sed étiam Frisinga cum suo clero prófugus ad ejus tímulum oratióibus, jéjuniis et divinis contemplatióibus per complúres an-

nos totus vacáverit ipsámque hanc Majénsim ecclésiam, licet Frisingénsi sedi restitútus, suæ sepultúræ locum éligerit. Póstea tamen corpus sancti Valentíni a Longobárdis Tridéntum et demum a Tas-silónē, Baváriæ duce, Pas-sávium translátum, corpus vero sancti Corbiniáni ab Aribónē, epíscopo Frisingénsi, non sine novis magnisque miráculis Frisingam reportátum fuit.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est:  
\* Ipse intercédat pro pec-catís ómnium populórum.  
**V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et per-vénit ad cælestia regna.  
Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo pérégre, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

Pro S. Blasio

Lectio ix

Bélásius, Sébaste in Ar-ménia cum virtútum laude floréret, ejusdem ci-vitatis epíscopus éligitur. Qui, quo tém pore Diocle-tiánus insatiábilem crude-litatem in Christiános ex-ercébat, se in spelúncam

ábdidit montis Argéi; ubi támidu láruit, dum ab Agricolái præsidis militi-bus venántibus deprehé-nus et ad præsidem duc-tus, ejus jussu conjéctus est in víncula. Quo in loco multos ægrótos sanávit, qui ad Blásium, ejus fama sanctitatis adducti, defere-bántur. In illis puer fuit, qui, desperáta a médicis salúte, transvérsa spina fáucibus inhærente, ániam agébat. Prodúctus autem ad præsidem Blásius semel et íterum, cum nec blanditiis nec minis adduci posset, ut dii sa-crifícarét, primum virgína cæsus, deinde in equíleo férreis pectínibus dilaniá-tus est; postrémo, démpto cápite, illústre fidei testi-mónium Christo Dómino dedit, tértio Nonas Fe-bruárii.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

**V.** Justum dedúxit Dó-minus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened.** Ant. Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

### Oratio

**P**ropitiáre, quássumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Valentíni Confessóris tui atque Pontificis mérita gloriósa; ut, ejus pia intercessióne, ab ómnibus protegámur ad-versis. Per Dóminum.

**E**t fit Commemoratio S. Blasii Ep. et Mart.:

**A**nt. Qui odit ániam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custódit eam.

**V.** Justus ut palma flo-rebit. **R.** Sicut cedrus Lí-bani multiplicábitur.

### Oratio

**D**eus, qui nos beáti Blásii Mártiris tui atque Pontificis ánnua solemnitáte lètificas: concéde pro-pítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejusdem étiam protectione gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ de sequenti Festo S. Andreæ Corsini Ep. et Conf., Commemoratio præcedentis:

**A**nt. Amávit eum Dó-minus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradísi coro-návit eum.

**V.** Justum et Oratio Propitiáre, ut supra.

### Die 6 Februarii

Pro Commemoratione S. Dorotheæ Virginis et Martyris

In Vespér Ant. Veni, Spónsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in aeternum.

**V.** Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Inténde, próspere procéde, et regna.

### Oratio

**O**mnipotens sempiterne Deus, in cujus nōmine gloriósa Virgo et Martyr Doróthea multórum genera tormentórum superávit: te suppliciter exorámus; ut ejus intervéntu cuncta pericula vincámus ipsámque in nostris necesitáribus célerem adjutrix sentiámus. Per Dóminum nostrum.

IX Lectio ut in Breviario.

In Laudib⁹ Ant. Simile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósā, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

**V.** Diffusa est grácia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in aeternum.

Die 9 Februarii

S. Altonis Abbatis

Duplex

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriae índuit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Similábo eum \* viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

**C**oncéde, omnípotens Deus, fidélibus tuis digne sancti Altónis Confessóris celebráre solémnia; ut, quæ devóte áppetunt tuæ pietátis subsídia, ejus méritis et intercessióne consequántur. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio præcedentis Festi S. Joannis de Matha Conf.:**

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, tríumphans, divítias cælo cónfidit ore, manu.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

**D**eus, qui per sanctum Joánnem órdinem sanctissimæ Trinitatis, ad rediméndum de potestate Saracenórum captivos, cælitus instituére dignátus es: præsta, quæ-

sumus; ut, ejus suffragántibus méritis, a captivitáte cörperis et ánime, te adjuvánte, liberémur. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde S. Cyrilli Ep. Alexandrini, Conf. et Ecclesiæ Doctoris:

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Cyrille, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

**V.** Elégit eum Dóminus sacerdótēm sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hóstiam laudis.

Oratio

**D**eus, qui beatum Cyrillum Confessorem tuum atque Pontificem divinæ maternitatis beatissimæ Virginis Mariæ assertórem invictum effecisti: concéde, ipso intercedente; ut, qui vere eam Genitricem Dei crèdimus, materna ejusdem protectione salvémur. (Per eundem Dóminum.)

Postea, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ; denique S. Apolloniae Virg. et Mart.:

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Inténde, pròspere procéde, et regna.

Oratio

**D**eus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victoriā martyrii contulisti: concéde propitiū; ut, qui beátæ Apollóniae Virginis et Mártyris tuæ natalitía colimus, per ejus ad te exémpia gradiámur. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno, si non sint dicendæ de Scriptura occurrenti, Lectiones Beátus vir, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

**A**lto, apud Scotos illustri gênerè ortus, ab ipsa pueritia futuræ sanctitatis fundaménta jecit. Contémpsis namque terrénis ópibus mundique illécebris, oratiōni plísque opéribus júgiter inténtus uni Deo placere eique uni deservire toto ánimi ardore stúduit. Ætate inde adultus dum christiánæ perfectionis desidério veheménter aestuáret, cælestem a Dómino illustrationem proméruit. Ea móitus, ut Abrahæ exémplo exiret de terra et cognitione sua,

divinæ jussiōni alacríter obsequens, ut parátam in cælis mansiónem inveníret, procul a pátria in Germániā migrávit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum:

\* Et dedit illi claritatēm ætérnam. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

**C**um igitur in Bojáriam Germániæ régionem (Bavária nunc dicitur) vir Dei pervenisset, in silva aptissimam divinorum mysteriorum contemplationi solitúdinem nactus, labore mánuum suárum ex agricultúra quotidíanam sibi alimóniam comparábat. Ubi vero ob sanctæ conversatiōnis famam Altónis nomen Pipíno, Francórum regi, innótuit, munificentissimus princeps tanta virtute et sanctimonia permótus ampla ejusdem silvæ parte illum do-návit. Hinc sanctitatis ejus láudibus late diffúsis fidélés plúrimi, cum eum certatim iníverent, de suis facultatibus multa Altóni liberáliter offerébant.

tóri quærénti bonas mar-  
garítas: invénta una pre-  
tiósa, dedit ómnia sua, et  
comparávit eam.

**V.** Diffusa est grátia in  
lábiis tuis. **R.** Propterea  
benedíxit te Deus in ætér-  
num.

### Oratio

**D**eus, qui inter cétera  
poténtiæ tuæ mirácula  
étiam in sexu frágili  
victóriam martýrii contu-  
listi: concéde propítius;  
ut, qui beátæ Apollóniae  
Vírginis et Mártyris tuae  
natalítia cólimus, per ejus  
ad te exémpla gradiámur.  
Per Dóminum nostrum.

Vesperæ a Cap. de sequen-  
ti Festo S. Scholasticæ Virg.,  
Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Hic vir despiciens  
mundum et terréna, tri-  
úmphans, divítias cælo  
cóndidit ore, manu.

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

### Oratio

**C**oncéde, omnípotens De-  
us, fidélibus tuis digne  
sancti Altónis Confessó-  
ris celebrare solémnia; ut,  
quæ devóte áppetunt tuæ  
pietatis subsídia, ejus mé-

ritis et intercessióne conse-  
quántur. (Per Dóminum.)

**Deinde Commemoratio S.**  
**Cyrilli:**

**Ant.** O Doctor óptime,  
Ecclesiæ sanctæ lumen,  
beátæ Cyrille, divinæ le-  
gis amatór, deprecáre pro  
nobis Fílium Dei.

**V.** Amávit eum Dómi-  
nus, et ornávit eum. **R.**  
Stolam gloriæ induit eum.

### Oratio

**D**eus, qui beátum Cy-  
rillum Confessórem  
tuum atque Pontíficem di-  
vinæ maternitatis beatís-  
simæ Vírginis Mariæ as-  
sertórem invictum effeci-  
sti: concéde, ipso interce-  
dente; ut, qui vere eam  
Genitícem Dei crédimus,  
matérrna ejúsdem protec-  
tione salvémur. (Per eún-  
dem Dóminum.)

**Postea, in Quadragesima,**  
Commemoratio Feriæ.

Die 25 vel 26 Februarii  
S. Walburgæ Virginis

### Duplex

**Ant.** Veni, Sponsa Chri-  
sti, áccipe corónam, quam  
tibi Dóminus præparávit  
in ætérnum.

**V.** Spécie tua et pulchri-  
tudine tua. **R.** Inténde,  
próspere procéde, et regna.

### Oratio

**D**eus, qui inter innúme-  
ra grátiae tuae dona  
étiam in sexu fémineo tua  
operáris magnália: con-  
céde propítius; ut beátæ  
Walbúrgæ Vírginis tuae  
apud misericórdiam tuam  
patrocínia sentiámus, cu-  
jus non solum castitatis  
illustrámur exémplis, ve-  
rum étiam miraculórum  
glória jucundámur. (Per  
Dóminum nostrum.)

**Deinde, in Quadragesima,**  
fit Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno, si non sint  
dicendæ de Scriptura occur-  
renti, Lectiones De virginí-  
bus, de Communi Virginum  
1 loco.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

**W**albúrga, sancti Ri-  
chárdi Anglórum re-  
gis filia, sanctorum Wil-  
libáldi et Wunibáldi so-  
ror, virginitatem suam ab  
ipsis prope incunábulis  
Christo sponso dicávit,  
omnibus hujus mundi illé-  
cebris fórtiter contémpsis.  
Quæ cum sanctitatem su-  
am in pátria omnibus mi-  
rum in modum probásset,  
a sancto Bonifátio non sine  
fratrum assénsu ex Anglia  
in Germániam cum pluri-  
bus aliis Deo devótis fémi-

nis evocáta est, ut disciplí-  
nam religíosam apud sancti-  
moniales partim plantá-  
ret, partim conserváret ac  
amplificáret. Quod ipsa  
stréne præstít se ipsam  
exhibens exéplum in  
conversatióne, in caritaté,  
in castitáte.

**R.** Propter veritátem, et  
mansuetudinem, et justiti-  
am: \* Et dedúcet te mi-  
rabiliter déxtera tua. **V.**  
Spécie tua et pulchritudi-  
ne tua inténde, próspere  
procéde, et regna. **Et.**

### Lectio v

**E**x Thuringia Heiden-  
héimium a Willibál-  
do fratre accersita venit,  
ut recens cónditio vírgi-  
num monastério præsset.  
Præfuit et quidem ádeo  
feliciter, ut mórtuo sanc-  
to Wunibaldo ipsi étiam  
cœnóbium vírórum com-  
mitterétur. Quo in múnere  
dum summa integratís,  
prudéntiæ et sanctimóniæ  
laude non sine éditis mirá-  
culis versaréatur, ad gáu-  
dia cælestia, quorum desi-  
dério veheménter inflam-  
máta erat, migrávit an-  
no salutis septingentésimo  
sepultæ Heidenhéimii, Wil-  
libaldo epíscopo sanctæ

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus loricam fidei, et ornávit eum. **Et.**

**Lectio vi**

**P**iórum itaque largitió-  
nibus in dies adáuctis,  
ut eas datóris bonórum  
ómnium Dei cíltui dedicá-  
ret, Alto ecclésiam et mo-  
nastérium (quod Alto-  
münster étiam nunc appellá-  
tur) ædificávit; ubi non-  
núllos vitæ spirituális sec-  
tatóres sancti Benedícti  
régulam profiténtes excé-  
pit. Eo deinde cælesti ex-  
citátus voce sanctus Boni-  
fatius, Moguntinus antí-  
stes, se cónferens, Ecclé-  
siam solémni ritu conse-  
crávit fontique non longe  
dissito benedictiónem im-  
pertiit. Alto vero, in sus-  
cépto vitæ instituto per-  
sevérans, exímiis virtúti-  
bus et miráculis clarus ob-  
dormívit in Dómino, ejus-  
que corpus in præfáta ec-  
clésia recónditum magna  
pópuli frequéntia cílitur,  
illúisque memória in Fri-  
singénsi dicecési anniver-  
sária festivitaté celebrá-  
tur.

**R.** Iste homo perfécit  
ómnia quæ locútus est ei  
Deus, et dixit ad eum: In-  
grédere in réquiem meam:  
\* Quia te vidi justum co-  
ram me ex ómnibus gén-  
tibus. **V.** Iste est, qui con-  
témpsit vitam mundi, et  
pervénit ad cælestia reg-  
na. **Quia.** Glória Patri.  
**Quia.**

In III Nocturno Homilia in  
Evangelium Ecce, nos reliqui-  
mus, de Communi Abbatum  
1 loco.

In Quadragesima IX Lectio  
de Homilia Feriæ; alias

Pro S. Cyrillo:

**Lectio ix**

**C**yrius Alexandrinus.  
Theóphili episcopi  
Alexandrini nepos, étiam  
adoléscens præcelléntis  
ingéni specímina dedit.  
Theóphilo vita functo, ad  
illius Sedem evéctus, et  
factus forma gregis ex  
ánimo, óptimi pastórissim  
gloriā adéptus est. Singulare  
ejus pro cathólicae  
fidei incolumente stúdi-  
um enítuit contra Nestó-  
rium Constantinopolitá-  
num episcopum, asseré-  
ntem Jesum Christum ex  
María Virgine hóminem  
tantum et non Deum na-  
tum, eique divinitatē  
pro méritis esse collátam;

cujus emendatióinem cum  
frustra tentáset, eum  
sancto Cælestino Papæ  
denuntiávit. Hujus Pontí-  
ficis delegáta auctoritá-  
te, nonnúllis sessiōníbus  
præfuit Concilii Ephesíni,  
in quo hæresis Nestoriá-  
na pénitus proscípta est,  
damnátus Nestórius et a  
sua Sede dejéctus, ac  
dogma cathólicum de una  
in Christo eaque divina  
persóna, et divina glorió-  
sa Virginis Maríæ mater-  
nité assértum. De sola  
fide sollicitus, et prop-  
térea plura perpessus, má-  
ximis pro Ecclésia Dei  
perfunctus labóribus, plu-  
rimisque scriptis éditis,  
sancto fine quiévit, anno  
quadringentésimo quadra-  
gésimo quarto, episcopá-  
tus trigésimo secundo.

Te Deum laudámus.

**Ad Laudes**

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge,  
serve bone \* et fidélis,  
quia in pauca fuísti fidélis,  
supra multa te constitú-  
am, intra in gáudium Dó-  
mini tui.

**Oratio**

**C**oncédé, omnípotens De-  
us, fidélibus tuis digne  
sancti Altónis Confessó-  
ris celebrare solémnia; ut,  
quæ devóte áppetunt tuæ  
pietatis subsídia, ejus mé-  
ritis et intercessióne con-  
sequántur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Cy-  
rilli Ep., Conf. et Eccl. Doct.:

**Ant.** Euge, serve bone  
et fidélis, quia in pauca  
fuísti fidélis, supra multa  
te constitúam, dicit Dó-  
minus.

**V.** Amávit eum Dómi-  
nus, et ornávit eum. **R.**  
Stolam gloriæ induit eum.

**Oratio**

**D**eus, qui beátum Cy-  
rillum Confessórem  
tuum atque Pontíficem di-  
vínae maternitatis beatís-  
simæ Virginis Maríæ as-  
sertórem invícum effec-  
sti: concéde, ipso interce-  
dente; ut, qui vere eam  
Genitricem Dei crédimus,  
matérra ejusdem protec-  
tione salvémur. (Per eún-  
dem Dóminum.)

Deinde, in Quadragesima,  
Commemoratio Feriæ; postea  
S. Apolloniae Virg. et Mart.:

**Ant.** Símile est regnum  
cælórum hómini negotia-

vírgini et soróri justa per-solvénte.

**R.** Dilexísti justitiam, et odísti iniquitátem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiae. **V.** Propter veritátem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

### Lectio vi

**H**eidenheímii sancta vírgo domicilium et se-púlerum hábuit usque ad Otkárium sextum epíscopum Eystetténum, cuius auctoritaté clerique ap-probatíone castíssimæ vírginis reliquæ Eystádium solémni pompa et ómnium órdinum accúrsu translátæ sunt ad locum, qui nunc a sancta Walbúrga nomen habet: sic tamen, ut pars sacrárum reliquiárum monastério Monhei-ménsi céderet rogátu Líobæ abbatissæ. Utrobíque plúrima mirácula mox edi cepta. Eystádium id peculiare habet, quod ex benedictis Walbúrgæ ibidem recónditis óssibus limpidíssimum variisque infirmítibus salutiferum óleum manat.

**R.** Afferéntur Regi vírgines post eam, próxiæ ejus \* Afferéntur tibi in

lætitia et exsultatióne. **V.** Spécie tua et pulchritúdi-ne tua inténde, próspera procede, et regna. **Aff**eréntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Simile erit regnum cælorum, de Communi Virginum 1 loco.

In Quadragesima, IX Lectio de Homilia Feriæ.

### Ad Laudes

**V.** Diffusa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. Ant.** Simile est regnum cælorum \* hómini negotiatóri querénti bonas margarítas: invénta una pretiosa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

### Oratio

**D**eus, qui inter innúme-ra grátiae tuæ dona étiam in sexu femíneo tua operáris magnália: concéde propítius; ut beátæ Walbúrgæ Virginis tuæ apud misericordiam tuam patrocínia sentiámus, cu-jus non solum castitatis illustrámur exémplis, verum étiam miraculórum glória jucundámur. Per Dóminum nostrum.

**E**t, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

### In II Vesperis

**V.** Diffusa, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

### Die 3 Martii

### S. Cunegundis

### Imperatricis, Virginis

#### Duplex

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde, próspera procede, et regna.

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

### Oratio

**E**xáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Cunegundis Virginis tuæ festivitaté gaudémus; ita piæ devotionis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

**E**t, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

**I**n I Nocturno, si non sint dicendæ de Scriptura occur-renti, Lectiones De vírgíni-bus, de Communi Virginum 1 loco.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

**C**unegundis. Siegfriði Palatíni filia, etsi Henríco, Romanórum Imperatóri, in matrimónium collocáta, tamen eodem an-nuente intáctum virginitá-tis florem ætérno Regi consecrávit. Dæmone ve-ro, tantæ virtútis hoste, invidórum criminatiónes excitante, Augústa in thori violáti suspicíonem apud marítimum venit. At illa per ignítos vómeres illáesa nudis pédibus incédens suam ómnibus integritaté pro-bávit.

**R.** Propter veritátem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et dedúcet te mi-rabiliter déxtera tua. **V.** Spécie tua et pulchritúdi-ne tua inténde, próspera procede, et regna. **E**t.

#### Lectio v

**I**nsignem quoque in páu-peres et ecclésias bene-ficentiam osténdit. Cum enim veram se orphanórum et languéntium óm-nium paréntem præbuí-set, sancto Michaéli et Apostolórum principibüs, et Protomártyri Stéphano basílicas excitávit ac vec-tigáli eas perámplo dotá-

vit, mūltaque monastēria utrīusque sexus fundāvit et singula diuérsis orna-mēntis, prædiis, ac uten-silibus juxta imperiālem magnificētiām ditāvit. Henrīco demum vita func-to (pro cuius áima solém-nes ubique preces et ele-emōsynas ingéntes faciēndas curávit) abjectis, ut jam dudum optāverat, rerum externārum curis, de-pōsita púrpura, præcisis crīnibus, qui adhuc in monastērio asservāntur, fidei ánulum ab archiepiscopo et vīrginum sacrārum ve-lum accépit.

**R.** Dilexistī justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lēftitiae. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

### Lectio vi

**P**orro sororibus Deo dicatis veræ submissiōnis et virtutum ónnium exēmple præfūxit. Num-quam plus quiétis, labōris vero non minus quam céteræ capiébat. Vigilias, preces, rerum sacrārum lectionem ad multam noctem producēbat fessaque nónnisi in strato cilicio

quiescébat. Ergo quín-de-cim annis in iis labóribus ac virtutum exercitatōne consūmptis, ad perpétuam quiétem vocátur a Dómino, qui ejus vitæ sancti-tatēm crebris étiam miráculis illustrávit. Nam et viva cœnobii incéndium crucis signo restínxit, et mórtua quam plúrimos vāriis morbis afféctos ad suum sepúlcrum pie acce-déntes curávit. Sacrum e-jus corpus Bambérge in sanctórum Petri et Pauli basílica religiōse cónditum asservátur.

**R.** Afferéntur Regi vír-gines post eam, próxi-mae ejus \* Afferéntur tibi in lēftitia et exsultatione. **V.** Spécie tua et pulchritudi-ne tua inténde, pròspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Accessérunt ad Jesum, de Communi Virgi-num 2 loco.

In Quadragesima, IX Lectio de Homilia Feriæ.

### Ad Laudes

**V.** Diffusa est grātia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. Ant.** Símile est regnum cælōrum \* hō-mini negotiatōri quærēnti bonas margarítas: invénta una pretiōsa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

### Oratio

**E**xaudi nos, Deus, salu-taris noster: ut, sicut de beátæ Cunegundis Vírginis tuae festivitatē gau-demus; ita piæ devotio-nis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

### In II Vesperis

**V.** Diffusa est grātia, ut supra ad Laudes.

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Et fit Commemoratio se-quentis Festi S. Casimiri Confessoris:

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

### Oratio

**D**eus, qui inter regáles delícias et mundi illé-cebras sanctum Casimírum virtutē constántiæ ro-borásti: quæsumus; ut, ejus intercessiōne, fidéles tui terréna despiciant, et ad cælestia semper aspi-rent. (Per Dóminum.)

Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ: postea S. Lucii I Papæ et Martyris:

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiorum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honore coronasti eum, Dómine. **R.** Et constituisti eum super opera manuum tuárum.

### Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beatum Lúciū Mártylem tuum atque Summum Pontificem perpétua protectiōne custodi; quem totius Ecclésiæ præstítisti esse pastórem. Per Dóminum nostrum.

## INDICES

### INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Adelaidis Imperatricis, Vidiæ, semiduplex. 19 Dec.	5*
Altonis Abbatis, duplex. 9 Februarii	16*
Barbaræ Virginis et Martyris, duplex. 4 Decembris	1*
Conceptio immaculata B. Mariæ Virg., Titul. Ecclesiæ Metropol., dupl. I classis cum Octava communi. 8 Dec.	5*
Corbiniani Translat. Commemoratio diei Octavae. 27 Nov.	1*
Cunegundis Imperatricis, Virginis, duplex. 3 Martii	23*
Dorotheæ Virg. et Mart. Commemoratio. 6 Febr.	15*
Erhardi Ep. et Conf. Commemoratio. 8 Januarii	7*
Severini Abbatis, duplex. 19 Januarii	7*
Valentini Ep. et Conf., semiduplex. 3 Februarii	12*
Walburgæ Virginis, duplex. 25 vel 26 Februarii	20*

### APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis

Monachii, die 10 Maii 1948

(L. + S.)

BUCHWIESER

Vic. Gen.

### IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 23 Decembris 1948

JOSEPH FRANZ

Vic. Gen.